

tus virtute officii sui eo uti possit aut consuevit Porro ne P. R. O.
viris honeste natis et se ad presentem expeditionem attinc-
turis ac bene de nobis et Regnis nostris pace et bello mereri
capientibus in tam remota longeque dissita Regione omnis
ad honorem et dignitatem via preclusa et penitus obsepta
esse videatur Propterea nos pro nobis heredibus et Successori-
bus nostris prefato modo Baroni de Baltimore et heredibus et
assignatis suis liberam et plenariam potestatem damus favores
gracias et honores in benemeritos Cives infra Provinciam pre-
dictam inhabitantes conferendi Eosque quibuscunque titulis et
dignitatibus (modo tales non fuerint que in Anglia nunc sunt
in usu) pro Arbitrio suo decorandi villas item in Burgos et
Burgos in Civitates Inhabitantes merita et locorum opportuni-
tates cum privilegiis et immunitatibus congruis erigendi et
incorporandi Ceteraque omnia et singula in premissis faciendi
que illi vel illis congrua et opportuna esse videbuntur eciam si
talis fuerint que de sui natura mandatum et warrantum exigunt
magis speciale quam in presentibus sit expressum Volumus
eciam ac per presentes pro nobis heredibus et Successoribus
nostris prefato modo Baroni de Baltimore heredibus et assignatis
suis omnibusque predictae Provincie Incolis et Inhabitantibus
quibuscunque presentibus et futuris per hanc Chartam nos-
tram licenciam damus et concedimus ut Merces quascunque et
mercimonia ex dicte Provincie fructibus et Commoditatibus
terrestribus vel marittimis redigendas per se vel per servos
Factores aut assignatos suos in quoscunque Portus nostros
heredum et Successorum nostrorum Anglie aut Hibernie libere
inferre et exonerare aut aliter de eisdem ibidem disponere et si
opus fuerit easdem Merces infra unum Annum ab exoneracione
earum continuo numerandas rursus in naves easdem vel alias
onerare et in quascunque voluerint Regiones sive nostras sive
extraneas de amicitia nostra heredum et Successorum nos-
trorum deportare valeant Proviso semper quod tales et talia
Custume et impositiones Subsidia et telonia nobis heredibus et
Successoribus nostris inde solvere teneantur quales et qualia
reliqui subditi nostri regni nostri Anglie pro tempore existenti
solvere tenebuntur ultra quas et que prefatam Provinciam
dicte terre terram Marie nuncupatam Incolas gravari nolumus
Et ulterius de ampliori gracia nostra speciali ac ex certa
sciencia et mero motu nostris pro nobis heredibus et Succes-
soribus nostris concedimus prefato modo Baroni de Baltimore
heredibus et assignatis suis plenam et absolutam potestatem et
authoritatem faciendi et erigendi et constituendi infra Provin-
ciam de terra Marie ac Insulas et Insululas predictas tot et tales
Portus marittimos Navium staciones Crecas et alia loca exonera-
cionis et deposicionis bonorum et mercimoniorum e Navibus
Cymbis ac aliis vasibus ac oneracionis in eadem et in tot et